Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47060
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Sed Jesus Christus, maledictionem vertit in benedictionem, ita quod inter tam innumerabilem multitudinem à diversis mundi partibus congregatam, tanta ac talis fuit devotio, pax et concordia, quod etiam fit incredibile relatu. Sic quoq; Domino prosperante, victualia in maxima quantitate & optimo statu reperta, cum tamen antea regiones excidium timerentur.

Præter alios Prælatos Dedicationi adfuit Visitator noster.

Sed et hoc peperit nos lætificare, quod inter plurimos Prælatos Reverendissimum Visitatorem cum patribus de suo collegio, habuimus tunc præsentem. Is quoq; qui imperat ventis et mari, annum nobis dederat tam serenum, ut stationes predicationis, die, noctuq; in campis liberius haberentur.

Plaro universis Dei gratia tam laudabiliter consentis, nos monachi per aliquos dies, partim Divinis insudavimus apud S. Joannem, partim apud novum basilicam dedicatam; ita ut post matutinas superius decantatas, descendentes reliqua inferius Divina officia usq; ad etandiu solveremus.

Quando, & quo Zelo Fratres migraverint ad novum Monasterium.

Verum attendentes hoc diu non posse fieri ordinatè, in nocte S. Columbani Abbatis Stellis tamen ac luna lucentibus valdè clarè, circa matutinas de B. Virgine, non curantes instantis hyemis austeritatem, cum omni frequentia, hoc est, supellectile universa, ad novum monasterium transmigravimus, ibidem Jesu Christo et suæ Matri gloriosissimæ S. Mariæ perpetuo servituri. Ordinantes, quatenus Beatissimo Joanni protheo patrono nostro, ad minus singulis diebus, à nobis una missa in sua capella debeat celebrari.

LITTERAE FVNDATIONIS.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Meinhardus Dei gratia Tyrolis, et Goritiæ Comes Hagenegensis, Tridentinus, et Brixinensis ecclesiarum Advocatus, Universis Christi fidelibus præsentibus et futuris, hanc paginam inspecturis in perpetuum. Rerum labente tempore eternam memoriæ habitur accionum, atq; rerum recordationis digna litterarum fulcimento duximus confirmanda. Recognoscentes itaq; quod civitatem hic manentem non habemus, sed futuram non manufacta inquirimus, æternaliter permansuram, amicos de bonis temporalibus, et caducis, qui nos, dum defecerimus, in tabernacula æterna recipiant, faventi Deo nobis facere cogitamus. Cum igitur pro remedio salutis nostrorum peccaminum, et progenitorum nostrorum, Ad honorem et reverentiam Jesu Christi, et eius gloriosæ genitricis semperq; Virginis Mariæ, Joannis Baptistæ, ac omnium Sanctorum de prædijs, seu proprietatibus nostris, Abbatiam monachorum Cisterciensium ordinis fundare iam cœperimus et consumare auxiliante Domino feliciter et efficaciter niteremur, ne lenitem memoriæ committendam, et futurorum notitiæ ducimus declarandum, quod ipsum nostræ fundationis locum dictum Stambs, possessionibus iam datum hic subscriptis. Donavimus equidem ecclesiæ nominatæ Villam totam in Stambs, cum Silvis, Agris, pratis, pascuis et omnibus attinentijs eiusdem cultis et incultis. Advocatiam, et omne ius quod habuimus in Ecclesia parochiali Gills et eius filiabus. Item tres Curias in monte sancti Stambs situs, Item Curiam in Tarne, cum omnibus iuribus suis, et attinentijs cultis, et incultis, Item curiam in Strandach cum omnibus iuribus suis et attinentijs cultis et incultis. Item Advocatiam et omne ius quod habuimus in Ecclesia parochiali Plays et eius dem ecclesiæ filiabus. Hæc et alia, iam à nobis data, et in posterum danda Monasterio prænotato et fratribus inibi Deo servientibus salva et integra per nos, et heredes nostros iuramus perpetuo conservari. Concedimus quoq;, ut nostri, et ipsius ecclesiæ hominibus vicissim liceat matrimonia contrahere. Ita quod heredes eorundem contrahentium nobis et Monasterio prænotato, æqualiter dividantur. Præterea cum constet ordinem Cisterciensem à sede Apostolica, et ab imperiali munificentia specialis prærogativis, gratia pre cæteris religionum ordinibus sic dotatum existere, ac exemptum, ut in omnibus bonis et hominibus eorum, Advocatum omnino habere non debeant, nisi quem sponte sibi duxerint eligendum, qui eos sine omni emolumento et exactione qualibet protegat et defendat, simpliciter propter Deum.

Nos eadem gratia prænotatum fundationis nostræ locum frei usque perennaiter et gaudere. Decernimus insuper et statuimus ut nulli omnino Judicum nostrorum super bonis et hominibus antedicti Monasterij nisi tantum in casu sanguinis hic expresso videlicet, furto, homicidio, nec non violenta oppressione permissum sit aliquod iudicium exercere. Quod tamen sic distinguimus, Ut si in [illegible] suis expressis